UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Flavii Philostrati quae supersunt

Philostratus, Flavius

Turici, 1844

Einleitung

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-5613

Visual Library

PROOEMIUM.

Apollonium Tyanensem et philosophum fuisse et magum[1] Origenes adversus Celsum (VI, 41, p. 302) ex libro Moeragenis refert,[2] neque ipsius Philostrati narratio, quamvis rejiciat auctorem Moeragenem, aliud prodit: audimus enim (22, 20) egisse eum biennium apud Bardanem regem Parthorum, quo toto tempore esset cum magis, quos nonnisi ἐν παρόδῳ adire decreverat (10, 26), Indos autem, quorum maxime expetierat disciplinam, non amplius quatuor menses frequentasse (63, 8), sed ab iis quoque non pauca magica accepisse exercenda postea apud Graecos (cf. Euseb. adv. Hierocl. 435.) cujus generis est exstinctio pestis Ephesios vexantis (68, 6), Achillis ex inferis evocatio (70, 18), empusa convicta (75, 7), thesaurus Pandorae auxilio inventus (128, 10). Similia Nostro praeterita alibi commemorantur.[3] Effectus igitur et disciplina magicae artis in Apollonio patet, verum

[1]) Magus habetur ab Appulejo, Apol. p. 156. Luciano Alex. §. 5. Dione Cass. LXXVII, 18. Euseb. adv. Hierocl. 432, Cyrillo adv. Jul. III, 88. Joan. Chrysostomo de laud. St. Pauli Apost. Homil. IV, 493. Augustino epp. 49, 102, 138. Pseudoambrosio de trinitate p. 340, aliis. Neutrum decernit Hieronymus ad Paullinum ep. 53, quum ait: Apollonius sive ille magus, ut vulgus loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, etc. Eusebius adv. Hierocl. narrat sua adhuc aetate inveniri περιέργους μηχανὰς τῇ τοῦ ἀνδρὸς ἀνακειμένας προσηγορίᾳ (464).

[2]) Origenis verba sunt: περὶ μαγείας φαμέν, ὅτι ὁ βουλόμενος ἐξετάσαι, πότερόν ποτε καὶ φιλόσοφοι ἀλωτοί εἰσιν αὐτῇ ἢ μή, ἀναγνώτω τὰ γεγραμμένα Μοιραγένει τοῦ Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως μάγου καὶ φιλοσόφου ἀπομνημονεύοντος, (scr. ἀπομνημονεύοντι) ἐν οἷς ὁ μὴ Χριστιανός, ἀλλὰ φιλόσοφος ἔφησεν ἀλῶναι ὑπὸ τῆς ἐν Ἀπολλωνίῳ μαγείας οὐκ ἀγεννεῖς τινας φιλοσόφους, ὡς πρὸς γόητα αὐτὸν εἰσελθόντας, ἐν οἷς, οἶμαι, καὶ περὶ Εὐφράτου (adde τοῦ) πάνυ διηγήσατο καί τινος Ἐπικουρείου. Deinde demonstrare conatur, Christianos οὔτε μαγείᾳ οὔτε δαιμονίοις ἁλωτοὺς esse.

[3]) Vide Malalam. p. 263, 266. ed. Dind. Mich. Glyc. Ann. 445. ed. B. Theod. Metoch. Hist. Rom. 86. ed. Meurs. Cedren. I, 431 seq. 278 et 346. Ibi legimus: ἐπὶ τούτου (Claudium dicit) καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Τυανεὺς ἦν φιλόσοφος Πυθαγόρειος στοιχειωματικός. οὗτος ἐν Βυζαντίῳ ἐλθὼν παρακληθεὶς ὑπὸ τῶν ἐντοπίων ἐστοιχείωσεν ὄφεις μὲν καὶ σκορπίους μὴ πλήσσειν, κώνωπας μηδὲ παρεῖναι, ἵππους μὴ κατωφρυῶσθαι, μήτε μὴν ἀγριαίνεσθαι κατ' ἀλλήλων ἢ καὶ κατά τινος. Ex eo loco ductum videtur scholion in codicibus Vratislaviensi et Vaticano 1016, in principio libri positum: τοῦ βίου Ἀπολλωνίου θαυμαστοῦ φιλοσόφου τοῦ Τυανέως [βιβλία η']. ἦν δὲ ὁ Φιλόστρατος οὗτος ἐν ταῖς ἡμέραις Αὐγούστου Καίσαρος, Ἰουλιάδος τῆς αὐτοῦ γυναικὸς ὑπογραφεὺς ὤν, ὡς αὐτὸς παραδηλοῖ ἐν τῷ παρόντι ὑπομνήματι. ἀλλὰ καὶ ὁ θαυμαστὸς Ἀπολλώνιος ὀλίγῳ πρότερον ἐγένετο Φιλοστράτου ἐπὶ τῆς βασιλείας Ῥωμαίων. περὶ τοῦ ἀνδρὸς τούτου εὗρον ἐγὼ γεγραμμένον ἔν τινι βιβλίῳ, ὡς ἦλθεν εἰς τὸ Βυζάντιον καὶ ἐστοιχείωσε τοὺς ἐν αὐτῇ ὑπάρχοντας ὄφεις, ὥστε μὴ βλάπτειν, ὅτε δάκωσι τοὺς ἀνθρώπους. Adde Pseudojustinum, Quaest. 24. εἰ θεός ἐστι δημιουργὸς καὶ δεσπότης τῆς κτίσεως, πῶς τὰ Ἀπολλωνίου τελέσματα ἐν τοῖς μέρεσι τῆς κτίσεως δύνανται; καὶ γὰρ θαλάττης ὁρμὰς καὶ ἀνέμων φορὰς καὶ μυῶν καὶ θηρίων ἐπιδρομάς, ὡς ὁρῶμεν, κωλύουσι. Respondetur praeter alia: ἐν ἅπασι τοῖς ἀποτελέσμασιν ἐδεήθη τῆς τῶν ἐπιτηδείων ὑλῶν παραλήψεως συνεργούσης αὐτῷ πρὸς τὴν τοῦ τελουμένου ἐκπλήρωσιν, ὁ δὲ σωτὴρ ἡμῶν Χριστὸς κατὰ τὴν θείαν αὐτοῦ αὐθεντίαν ποιῶν τὰ θαύματα οὐδαμῶς ἐδεήθη ὕλης. Peculiarem dissertationem de Apollonii imaginibus telesticis scripsit L. Moshemius.

inspiratus fuisse divinitus perhibetur[1]) ad illa miracula patranda (84, 29; 90, 5) et ad tantam vim pervenisse vita castissima et sanctissima (112, 3) neque, ut magi, quaestum artis[2]) fecisse (155, 13), unde tamquam praesens numen cultum fuisse a multis tradit Philostratus (157, 17).

Philosophiam profitebatur Pythagoream, cui plurima theurgiae novitiae inventa illa aetate affingebantur, ut deorum heroumque cognitio et congressio (1, 8), rerum futurarum praesensio (112, 12), phantasmatum convictio (ibid.) et quae alia habent mirifica libri Jamblichi et Porphyrii de vita Pythagorae. Ea omnia Apollonius in suam rem ita convertisse dicitur, ut Pythagoram etiam superaret (2, 4)[3]). Accesserunt, unde persona Tyanensis philosophi etiam magis extolleretur, quae de redemtore nostro inter Christianos tradebantur. Primusne ea Philostratus adhibuerit, quod statuerunt olim D. Huetius,[4]) G. Naudeus,[5]) G. Nicholls,[6]) R. Jenking,[7]) et nostra aetate vir clarissimus F. Ch. Baur,[8]) an paullatim illinc adjecta sint fabulis Apollonianis et translata in magum aequalium popularumque studiis,[9]) difficile est dijudicatu,[10]) cum ceteri auctores ejus historiae interierint, ex quibus praecipue Moeragenis[11]) jactura dolenda est. Ipse enim Noster haud dubie sua hac opera Juliae Domnae, Caracallae, et Alexandri quoque Severi quaesivit gratiam, in

---

[1]) Nonnulla, quae Apollonius effecit, daemonis auxilio tribuuntur etiam ab Eusebio sic disputante p. 456: *ἐπιστῆσαι δ' ἄξιον δι' ὅλης τῆς πραγματείας, ὡς ὅτι, κἂν ἀληθεύειν δοθῇ τῷ συγγραφεῖ τὰ παράδοξα, συνεργείᾳ δαίμονος ἕκαστον αὐτῷ διαπεπρᾶχθαι τούτων σαφῶς δείκνυται. τό τε γὰρ τοῦ λοίμου προαισθέσθαι ἴσως μὲν οὐδὲ περίεργον* (ita scr. pro *οὐκ ἀπερίεργον*) *δόξειεν, εἰ, καθὼς αὐτός, ἀπὸ λεπτοτάτης καὶ καθαρᾶς διαίτης κατείληπτο, ὡς αὐτὸς ἔφησεν, ἴσως δὲ καὶ αὐτὸ ἐξ ὁμιλίας δαίμονος αὐτῷ προμεμήνυτο.* Inde defenderis Philostratum a crimine inconstantiae, quod ei exprobravit Tennemann Gesch. d. Philos. V, 202. magica tribuentem Apollonio a magi tamen appellatione vindicasse.

[2]) Apollonium minime abhorruisse a colligenda stipe conclusit Brucker Hist. Crit. Phil. II, 143. ex 168, 2.

[3]) cf. Jambl. V. Pyth. c. 18. cum V. A. 68, 9 et 165, 13. Locum 2, 4. respicit Syncellus p. 334.

[4]) In Demonstratione Evang. Prop. IX. §. 147. c. 2.

[5]) Apologie pour les grands person. soupçon. de Magie p. 238.

[6]) Conf. with a Theist. p. III. p. 203.

[7]) In notis ad vitam Apoll. ex Gallicis Tillemontii Anglice factam.

[8]) „Apollonius und Christus, oder das Verhältniss des Pythagoreismus zum Christenthum. Ein Beitrag zur Religionsgeschichte der ersten Jahrhunderte nach Christus. Von Dr. F. Ch. Baur, ordentl. Professor der evang. Theologie an der Universität Tübingen. Abgedruckt aus der Tübinger Zeitschrift für Theologie. Jahrgang 1832." Vide ibi p. 104, 124 sqq. 142 sqq.

[9]) Cujus generis videntur esse narrationes de sanatione *τῶν δαιμονιζομένων*, 72, 26; 75, 7. conferendae cum Joseph. Archaeol. VIII, 2, 3. Ev. Matth. VIII, 28. Marc. V, 1. Luc. VIII, 26.

[10]) Exstiterunt etiam VV. DD. qui plane negarent, Philostratum in conscribendo hoc libro cogitasse de Jesu. Vide Meiners Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften etc. I, 258. Neander Allgem. Gesch. der christl. Rel. I, 272. At similitudo adeo in omnes partes vitae Apollonii diffusa est, ut fortuitam habere vix liceat, quamvis Neandro assentiantur H. Ritter Gesch. der Philosophie IV, 495. et v. Bohlen, das alte Indien I, 72. Vide exempla collecta a Huetio l. c. Baur l. c. et Bruckero l. c. II, 143.

[11]) Moeragenes, qui de Apollonio opus quatuor voluminibus constans conscripsit, eo ipso gravis testis habendus est, quod a Philostrato repudiatur, quia multa non recte intellexerit, *πολλὰ ἀγνοήσας* (3, 7.) Minoris momenti videtur Maximi Aegiensis libellus fuisse, laudatus 7, 7.

quibus illa ab ipso postulavit hujus libri scriptionem (3, 4), filius Apollonio ἡρῷον[1] condiderat (Dio Cass. LXXVII, 18), Alexander denique in lararium suo[2] Apollonium, Christum, Abraham et Orpheum habebat, quippe quos antistites religionis Solaris esse arbitraretur, gentiliciae imperatoribus ex Asia oriundis. Fautoribus illis si placere volebat, ad ipsorum scilicet voluntatem historia erat accommodanda.

De libris, quos Apollonius ipse edidit, Eudocia haec habet: *συνέταξε τελετὰς*[3] *ἢ περὶ θυσιῶν* (cf. 60, 20), *διαθήκην* (3, 6), *χρησμούς* (an *μαντείαν ἀστέρων*, de qua agitur 60, 19?), *ἐπιστολάς*,[4] *Πυθαγόρου βίον*[5] *καὶ ἄλλα πολλά*. Omisit laudare hymnum in *Μνημοσύνην* (8, 13). Epistolae, quae hodie ejus nomine feruntur, ipsius esse non possunt, desunt enim tantum non omnia, quorum ut illic perscriptorum meminit Philostratus, aut si quid simile praebent, prolatum est tam jejune, frigide, inepte, ut elegantissimi sophistae laude plane indignae videantur.[6] Quae insertae leguntur huic vitae, oratione et argumento produnt ingenium ipsius scriptoris, cui pro consilio operis talia fingere licebat. Itaque eas tantum epistolas Apollonio recte tribui dixeris, quae tamquam cognitae lectoribus citantur (ut 4, 12, 150, 19). Adversus fictionis crimen callide Noster se communivit iis, quae scripsit 146, 34 et 169, 20.

---

[1]) Factum id esse ante absolutum hunc librum moneo propter ea, quae dicit Baur l. c. 131. Jam D. Huetius ait in notis mstis: „Hos videtur libros scripsisse Philostratus, ut gratum faceret Caracallae, a quo honores sciebat Apollonio exhibitos.“ Matre et filio defunctis nondum ad umbilicum pervenerat opus, neque Heliogabali aetate prodiisse credibile, qui se peti facile potuisset suspicari iis, quae narrantur 161, 7 sqq. cf. Lamprid. c. 8.

[2]) Lamprid. Alex. 29. cf. Boettiger Kunstmyth. I, 21. Baur l. c. 127 sqq. Apollonio certe Sol summus est deus, cujus favor eum prosequitur, dum totum orbem terrarum peragrat (18, 3), quem Indorum Brachmanum exemplo quotidie statis invocat horis (50, 17), ex quo non vitam solum, sed mentis quoque lucem ducit (112, 32). Vide Baur l. c. 215.

[3]) Ejus libri fragmentum servavit Euseb. Praep. Ev. p. 150. b. *ἀδελφὰ δὲ τούτῳ* (Porphyrio) *καὶ συγγενῆ περὶ τοῦ πρώτου καὶ μεγάλου θεοῦ ἐν τῷ περὶ θυσιῶν ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς ᾀδόμενος αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ Τυανεὺς Ἀπολλώνιος τοιάδε γράφειν λέγεται· „οὕτως τοίνυν μάλιστα ἄν τις, οἶμαι, τὴν προσήκουσαν ἐπιμέλειαν ποιοῖτο τοῦ θείου τυγχάνοι τε αὐτόθεν ἵλεώ τε καὶ εὐμενοῦς αὐτοῦ παρ' ὀντιναοῦν μόνος ἀνθρώπων, εἰ θεῷ μέν, ὃν δὴ πρῶτον ἔφαμεν, ἑνί τε ὄντι (adde καὶ) κεχωρισμένῳ πάντων, μεθ' ὃν γνωρίζεσθαι τοὺς λοιποὺς ἀναγκαῖον, μὴ θύοι τι τὴν ἀρχὴν μήτε ἀνάπτοι πῦρ μήτε καθόλου τι τῶν αἰσθητῶν ἐπονομάζοι — δεῖται γὰρ οὐδενὸς οὐδὲ παρὰ τῶν κρειττόνων ἥπερ ἡμεῖς, οὐδ' ἔστιν, ὃ τὴν ἀρχὴν ἀνίησι γῆ φυτὸν ἢ τρέφει ζῷον ἢ ἀήρ, ὃ μὴ πρὸς αὐτόν γέ τι μίασμα — μόνῳ δὲ χρῷτο πρὸς αὐτὸν ἀεὶ τῷ κρείττονι λόγῳ, λέγω δὲ τῷ μὴ διὰ στόματος ἰόντι καὶ παρὰ τοῦ καλλίστου τῶν ὄντων διὰ τοῦ καλλίστου, τῶν ἐν ἡμῖν αἰτοίη ταγαθά. νοῦς δέ ἐστιν οὗτος ὀργάνου μὴ δεόμενος.“* Argumentum pluribus tractatum est nuper a V. Cl. Thilo in Commentatione ad Synes. hymn. 2. vs. 22—24. de triplici silentio philosopho mystico divino Halis 1843. p. 11.

[4]) Epistolas citat Porphyrius fragm. de Styge p. 285 ed. Holst. agens de aqua probationis apud Brachmanes obvia his verbis: *οἶμαι δὲ τούτου καὶ Ἀπολλώνιον τὸν Τυανέα μεμνῆσθαι τοῦ ὕδατος, τοῦ ἐν σπηλαίῳ λέγω· γράφων γὰρ τοῖς Βραχμᾶσιν ὅρκον τινὰ ὀμνύει „οὐ μὰ τὸ Ταντάλειον ὕδωρ, οὗ με ἐμνήσατε,“* quae in collectione vulgari desiderantur.

[5]) A Suida quidem et Eudocia Apollonius Tyanensis de vita Pythagorae peculiari libro egisse dicitur, sed ignorat eum Philostratus, Porphyrius autem et Jamblichus simpliciter Apollonium testem laudant aut ad verbum excerpunt. Tyanensem illum esse minime consequitur, recteque videtur Wyttenbachius Bibl. Cr. Vol. II. p. VIII. p. 120. nostro abjudicasse excerpta apud Jamblichum.

[6]) cf. Baur l. c. 102 sq.

Haud majore auctoritate Damidis censendus liber est, *τὰ ἐκφατνίσματα* inscriptus, quem aliquis ex illius posteris tradidisse dicitur Juliae Domnae (3, 1), etsi fieri potuerit, ut tales de Apollonio commentarii tum circumferrentur. Collecta ex Ctesiae Indicis aliorumque libris ejus generis Damidi feruntur accepta, totusque hic liber fluxisse perhibetur ex ejus viri ephemeridibus. At iter Apollonii in tribus primis libris tam praepostere descriptum est, ut nequeat de vero fonte cogitari. Vide enim: Antiochia profectus venit Ninum (11, 3), inde accedit ad Zeugma (11, 25) remensus videlicet paene totam inter Antiochiam et Ninum viam, Zeugmate autem egressus Ctesiphontem prius attingit quam Babylonem (12, 13), denique, ut taceam de interjectis, a Brachmanibus ad mare tendit *ἐν δεξιᾷ μὲν τὸν Γάγγην ἔχων, ἐν ἀριστερᾷ δὲ τὸν Ὕφασιν* (63, 14)! Babylonem et Ninum urbes jampridem excisas hospitium praebuisse Apollonio[2] hic legimus (11, 2 et 18, 31). Bene quidem monet Baur l. c. 117. Babylonem, magorum sedem, fingi hic superstitem, ut Apollonius eorum consuetudine uti possit, at Damidis liber haec serio narrantis quo loco erit habendus? Nec in describendis temporibus accuratior est scriptor: Apollonius dicitur illud iter suscepisse homo valde juvenis, qua deceat aetate *ὑπερόριον αἴρεσθαι* (10, 26). Atqui ille jam praesidi Ciliciae, qui cum Archelao saevitiam Tiberii expertus est A. U. 770 fata imminentia vaticinatus (7, 4), Babylone autem cum Bardane, de quo agit Tacitus (A. XI, 10), versatus, non ante quadragesimum aetatis annum illuc abiit. Neque ante Neronis imperium Romam venit, quippe cujus scelera et furores apti viderentur ad exornandam hanc vitam. Eadem de causa sub Domitiano iterum illuc accedit senex annosissimus, qnem Damis etiamnum comitatur duce non junior, idemque etiam postea in summa senectute nuntius missus ad Nervam (171, 21).

Satis liquet ex omnibus, quae indicavi, non historiam esse habendam, quae in Philostrati libro legimus, sed fabularem narrationem,[3] eo consilio compositam, ut uno exemplo ostenderetur sapientiae Indicae atque Pythagoricae excellentia, qua insignis Apollonius multa et in regenda natura rerum et in moribus saeculi emendandis effecisset admirabilia.[4] Suberat tacita comparatio cum auctore fidei nostrae. Ea in opera cum pleraque affingenda essent personae Apollonii, non potuit hic liber effugere severas Christianorum censuras, qui cupide monstrarent repugnantias et mendacia commissa scriptori parum cauto, praesertim postquam Hierocles[5] efferenda vita Apolloniana adversus Chri-

---

[1]) cf. Baur l. c. 115.

[2]) Vide Hug Einleitung in das N. Test. I, 14. et quae ad defensionem Philostrati protulit Baur l. c. 117.

[3]) Milesia fabula appellatur a Bruckero l. c. II, 110.

[4]) Vide, quae collegit Baur l. c. 48 sqq.

[5]) Aliquot fragmenta ex Hieroclis libro servavit Eusebius 429 sq. quorum partem ex Parisinis libris 174 (A) et 451 (B) huc transtuli: »*ἐπὶ τῶν προγόνων ἡμῶν κατὰ τὴν Νέρωνος βασιλείαν Ἀπολλώνιος ἤκμασεν ὁ Τυανεύς, ὃς ἐκ παιδὸς κομιδῇ νέου καὶ ἀφ' οὗπερ ἐν Αἰγαῖς* (*Αἰγεταῖς* B, an *Αἰγαιαῖς*?) *τῆς Κιλικίας ἱεράσατο τῷ φιλανθρώπῳ Ἀσκληπιῷ* (*τῷ Ἀσκλ.* A) *πολλὰ καὶ θαυμαστὰ διεπράξατο, ὧν τὰ πλείω παρεὶς ὀλίγων* (*παρεὶς ἡμῖν* vulgo) *ποιήσομαι μνήμην.*« *εἶτα καταλέγει ἀπὸ πρώτου ἀρξάμενος τὰ παράδοξα, μεθ' ἃ καὶ ἐπιλέγει ταῦτα κατὰ λέξιν·* »*τίνος οὖν*

stianos disputare coepit. Inde natus Eusebii contra Hieroclem libellus et quae postea Lactantius, Cyrillus, Joannes Chrysostomus,[1] Isidorus Pelusiota[2] obiter dixerunt.

Erraverit autem, qui putet, ipsum sophistam vera habuisse[3] omnia, quae superstitio Cappadocum credibilia putaret: usus est his fabulis, ut librum redderet jucundiorem talium cupidis. Neque pauca excogitavit, quae etiam doctos[4] lectores operi suo conciliarent: ejus esse generis dixerim, quae Apollonius Dione coram et Euphrate suadet Vespasiano 99, 35), quae apud Gymnosophistas disserit (111, 6 et 118, 20), quae contra Demetrii sententiam disputat (135, 18), denique longam illam sui defensionem, quam in judicio erat habiturus, in qua quum Eusebius carpsit (460) divinationem philosophi, qui scilicet nesciisset, non opus sibi fore apologia, minime intellexit, quid voluerit scriptor, qui ubique captat occasionem doctrinae et eloquentiae ostentandae, parum curans, potueritne Apol-

---

ἕνεκα τούτων ἐπεμνήσθην; ἵν' ἐξῇ συγκρίνειν (συγκρίναι B) τὴν ἡμετέραν ἀκριβῆ καὶ βεβαίαν ἐφ' ἑκάστῳ κρίσιν καὶ τὴν τῶν Χριστιανῶν κουφότητα, εἴπερ ἡμεῖς μὲν τὸν τὰ (τὰ addit B) τοιαῦτα πεποιηκότα οὐ θεόν, ἀλλὰ θεοῖς κεχαρισμένον ἄνδρα ἡγούμεθα, οἱ δὲ δι' ὀλίγας τερατείας τινὰς τὸν Ἰησοῦν θεὸν ἀναγορεύουσιν." τούτοις (τούτῳ vulg.) ἐπιφέρει μεθ' ἕτερα φάσκων „κἀκεῖνο λογίσασθαι ἄξιον, ὅτι τὰ μὲν τοῦ Ἰησοῦ Πέτρος καὶ Παῦλος καί τινες τούτων παραπλήσιοι κεκομπάκασιν ἄνθρωποι ψεῦσται καὶ ἀπαίδευτοι καὶ γόητες, τὰ δὲ Ἀπολλωνίου Μάξιμος ὁ Αἰγιεὺς (Αἰγεώτης B) καὶ Δάμις ὁ φιλόσοφος ὁ συνδιατρίψας αὐτῷ καὶ Φιλόστρατος ὁ Ἀθηναῖος παιδεύσεως μὲν ἐπὶ πλεῖστον ἥκοντες, τὸ δὲ ἀληθὲς τιμῶντες διὰ φιλανθρωπίαν ἀνδρὸς γενναίου καὶ θεοῖς φίλου πράξεις μὴ βουλόμενοι λαθεῖν." ταῦτα ῥήμασιν αὐτοῖς Ἱεροκλεῖ τῷ τὸν καθ' ἡμῶν ἐπιγεγραφότι φιλαλήθη λόγον (φιλαλήθη vulgo deest) εἴρηται. Contra Hieroclem etiam Lactant. Div. Inst. V, 3. disseruit.

[1] Joh. Chrysostom. bis invehitur acerrime in Apollonium: adv. Judaeos V, 3 (p. 631) et quem locum supra laudavi, in laude St. Pauli Apost. Homil. IV (p. 493). Philostratum ipsum non nominat.

[2] Isidorus Pelusiota epp. p. 138 ed. Bill. καινοῖς τινες λόγοις τοὺς ἀνθρώπους ἠπάτησαν τὸν ἐκ Τυάνων εἰσαγαγόντες Ἀπολλώνιον πολλαχόσε πολλὰ τελεσάμενον ἐπ' ἀσφαλείᾳ φησὶ (scr. φασὶ) τῆς οἰκήσεως, ἀλλ' οὐδὲν ἔχουσι δεῖξαι παρ' ἐκείνου γενόμενον· εἰ γάρ, καὶ λόγους ψιλοὺς τοῦ ἀνδρὸς ἀναγράψαντες καὶ πάντα τὰ κατ' αὐτὸν ἀκριβώσαντες οὐκ ἂν τὰς θρυλλουμένας παρέλιπον πράξεις; ἔχεις δὲ τὸν Φιλόστρατον ἀκριβῶς τὰ ἐκείνου ἐκθέμενον. καὶ μάνθανε, ὡς σαφῆ συκοφαντίαν μαγγανιῶν ἐχθροὶ τοῦ ἀνδρός, ὡς εἰκός, κατεσκεύασαν. Ipse Philostratus falso apud multos olim VV. DD. in suspicionem venit odii Christianae religionis, e. g. Huetium l. c. Bruckerum l. c. et scriptorem libri de miraculis quae Pythagorae, Apollonio Tyanensi, Francisco Assisio Dominico et Ignatio Lojolae tribuuntur. Duaci 1734, qui se Philelcutherum Helvetium appellat. Hieroclis vero vestigiis insiterunt C. Blount, qui duos primos libros Vit. Ap. cum notis edidit Lond. 1680 et pseudonymus, qui scripsit: Gewissheit der Beweise des Apollinismus von Aemilius Lucinius Cotta Oberpriester bei dem Tempel des Jupiter Capitolinus zu Rom, aus dem Lateinischen übersetzt von dem Verfasser des Hierocles. Frankf. und Leipz. 1787. quem refutavit J. B. Lüderwald: Antihierocles oder Jesus Christus und Apollonius von Tyana in ihrer grossen Ungleichheit vorgestellt. Halle 1794. Plura de his libris dabit Baur l. c. 12 sqq. 16 sqq. Jam Hen. Morus in „Mysterio pietatis" IV, 2, 4. demonstrare conatus erat, quam dissimilem Christo Apollonium exstitisse ex ipsa Philostrati historia appareat.

[3] Vide F. Chr. Schlosser Univers. hist. Uebersicht der alten Welt III, 2, 206. sq.

[4] Iniquius judicat de his ornamentis Huet. l. c. p. 674. contra quem Baur diserte et intelligenter consilium scriptoris defendit l. c. 85 sqq. Adde Jacobsium in Praef. ad. V. G. 160: „Wir zweifeln nicht, dass Philostratus den Wünschen seiner kaiserlichen Beschützerin durch ein Werk Genüge gethan habe, in welchem eine grosse Mannichfaltigkeit des Stoffes mit Mannichfaltigkeit des Vortrages verbunden ist, Thatsachen mit philosophischen Betrachtungen, Beschreibung ferner Länder und fremder Geschöpfe mit der Schilderung wunderbarer Kunstwerke, Erzählung mit Gespräch und ausführlichen Reden auf eine ergötzliche Weise abwechseln, und Alles endlich durch ausgesuchten Schmuck des Vortrages, so wie er sich durch die sophistische Rhetorik der Zeit gebildet hatte, bekleidet ist."

lonius ea dicere, quae eum dicentem facit;[1] nec dubito, quin ex prioribus suis libris, maxime ex volumine *διαλέξεων*[2] multa derivaverit in hunc capitalem Apollonio tamquam *ὑποκριτῇ* suae sapientiae usus. Sophisticae certe artis egregium dedit in hoc libro specimen, cujus admirabilis est nec facile in aliorum ejus generis operibus invenienda varietas, amoenissime junctis inter se colloquiis, orationibus, dissertationibus, descriptionibus, quibus multiplicem materiam complectitur. Eximie pingit *ἤθη* et *πάθη*, Damidis sinceritatem, Nili studium, Euphratis invidiam, Domitiani fastum, exprimendo ea et tota descriptione et orationis conformatione vividissima.[3] In prioribus libri partibus Herodoti, in ultimis Thucydidis sibi proposuisse videtur exemplar, ita ut illius nativam in narrando simplicitatem et rerum copiam aemularetur, hujus vero subtilitatem et acumen in componendis antilogicis orationibus, non infelix in tanta saeculorum et ingeniorum discrimine imitator.

Liber ab ipso Philostrato inscriptus erat *τὰ ἐς τὸν Τυανέα Ἀπολλώνιον*, et hunc indicem optimus liber π, atque antiquissimus f habent. In Vitis Sophistarum 570 (74, 33 ed. nostrae) citat opus suum dicens *τοῦτο μὲν δὴ ὁπόσοις τρόποις ἀπίθανον, εἴρηται σαφῶς ἐν τοῖς ἐς Ἀπολλώνιον*, ubi omittitur quidem *Τυανέα* quippe lectum in superioribus.[4] Eandem inscriptionem auctor epitomae Vit. Soph. tuetur in brevi prooemio: *τούτου τοῦ Φιλοστράτου ἔοικεν εἶναι καὶ τὰ ἐς τὸν Τυανέα Ἀπολλώνιον.* Brevitatis gratia alii abierunt inde ab Eunapio ad vulgarem *βίος Ἀπολλωνίου*, in quibus etiam Suidas est s. v. *Φιλόστρατος.*

Lectores invenit multos, quod vel numerus codicum hodie superstitum docet. Primus, quem norimus, Hierocles[5] est, qui sub Diocletiano praeses Bithyniae ad Christianos *λόγον φιλαλήθη* composuit, cupiens eos ad deorum cultum reducere, ususque exemplo, quod supra Christum eveheret, Apollonii. Responderunt Eusebius et Lactantius[6] uno fere tempore. Eusebius refellens Hieroclem multos locos Vitae modo ad verbum transfert in suam disputationem, modo negligentius, unde minor fructus, quam in auctore tam antiquo exspectaveris, redundat in textum emendandum.[7]

---

[1] Vere hoc jam Ed. Müller conjecit de locis ad picturam et statuariam pertinentibus 34, 4 sq. 118, 20 sq. in libro egregio: Geschichte und Theorie der Kunst bei den Alten. II. p. 316.

[2] cf. quae ipse notavi in Praef. ad Vit. Soph. XXXII. n. 84. Quae *διάλεξις* de natura et lege servata est ed. Ol. 912, repetitaque nuper a Boissonado in Praef. ad Epp. Philostr. argumento aliquatenus convenit cum iis, quae leguntur in V. Ap. 168, 17 sqq. Etiam Nero, dialogus olim Luciano tributus, quem nos assentientibus Viris clarissimis C. F. Hermanno et A. Westermanno inter Philostratea recensemus, compluribus locis quasi praeludia habet rerum hic enarratarum, cf. 75, 3 cum Ner. § 4.

[3] Exempli gratia cf. 14, 4. 109, 6. 118, 21. 145, 36.

[4] *Ἐρασθῆναι τῆς γυναικὸς ταύτης καὶ ἑτέρους μέν, ἐπιδήλως δὲ Ἀπολλώνιόν φασι τὸν Τυανέα* (74, 27).

[5] Nolim quidquam affirmare de Porphyrio, qui in libro π. *ἀποχ.* p. 103. ed. Holst. fabulam hic narratam p. 66, 5. refert, sed nonnullis mutatis, ut alium auctorem respici putem.

[6] Lactantius adversus Nostrum disputat pluribus in Inst. Div. V, 3.

[7] Adhibui in verbis Philostrateis duos codices sæc. decimi ab E. Millero pro insigni, qua in me est, benignitate collatos, Par. 174 (A) et 451 (B). Ex Eusebio emendati sunt hi loci: 4, 16 et 17. 113, 17. 138, 9. 146, 24. 161, 2. Saepe elegantem sophistae orationem in vulgarem sermonem deprimit, cf. 72, 11.

Pergimus[1]) ad Eunapium,[2]) et Hieronymum, alterum credulum Apollonianae divinitatis admiratorem, alterum hujus libri non iniquum[3]) aestimatorem. (cf. Ep. ad Paulinum 53.) Ceteri enim patres flagrans odium Apollonii prae se ferunt, Cyrillus, Johannes Chrysostomus, Augustinus et Isidorus Pelusiota,[4]) qui si non omnes indicant, hanc Vitam a se lectam esse, aegre tamen crediderim post censuram Eusebii mansisse iis ignotam. Respicitur haec opus etiam ab Aenea Gazaeo (Dial. p. 18 sq. ed. Boiss.) demonstrante falso tributum ab Apollonio et Philostrato dogma ἀναμνήσεως Brachmanibus. Epitomam Vitae tunc confectam fuisse a Nicomacho quodam ex verbis Sidonii Apollinaris[5]) suspicor. Sexto saeculo lecta est ab Hesychio Illustrio,[6]) deinde longo intervallo, quo hae litterae densissimis tenebris obrutae fuerunt, de hoc quoque scriptore nullum testem audias. Nono demum saeculo redit Vitae memoria resuscitata a Syncello (346 f. 655.) ac Photio,[7]) qui hunc librum describit in cod. 44 et 241, multaque inde, maxime geographica et physica, excerpsit. Proximus a Photio, quem quidem norimus, Suidas esse videtur lector Vitae, qui quasi viginti locos in lexicon transtulit, sequuntur eodem saeculo Cedrenus (431) Zonaras (Ζων.), Eudocia; duodecimo Tzetzae,[8]) tertiodecimo exeunte Rhacendyta,[9]) et Epitomator V. S. quartodecimo Thomas[10]) Magister (Θ). Recentioribus laudandis supersedeo.

Frequenti hac lectione factum est, ut jam mature magna vitiorum varii generis seges progigneretur in plerisque codicibus, cujus rei pro exemplo est vetustissimus, Suidae temporibus exaratus, Laurentianus Pl. LXIX 33, (f.) Cum hoc principe consentiunt in lacunis,[11]) quos praeterea libros secundae (2) i. e. deteriori familiae assignavimus. Lacunarum autem multitudine edocemur, omnes ejus familiae codices ex uno fonte prodiisse, quamvis valde inter se differant lectione, diducitur enim haec secta in tria quasi agmina:

---

[1]) De Apollonio agunt praeterea Vopiscus (Aurel. 24), Themistius (VI, p. 72. ed. Pet.) et Ammianus Marcellinus (XXI, 14. XXIII, 6, 19), quos, etsi Philostratum non allegant, verisimile tamen cognitum habuisse.

[2]) Ait Eunapius ed. Boiss. 3. „*Φιλόστρατος μὲν ὁ Λήμνιος τοὺς τῶν ἀρίστων σοφιστῶν ἐξ ἐπιδρομῆς μετὰ χάριτος παρέπτυσε βίους, φιλοσόφων δὲ οὐδεὶς ἀκριβῶς ἀνέγραψεν· ἐν οἷς Ἀμμώνιός τε ἦν — Ἀπολλώνιός τε ὁ ἐκ Τυάνων οὐκέτι φιλόσοφος, ἀλλ' ἦν τι θεῶν τε καὶ ἀνθρώπου μέσον, τὴν γὰρ Πυθαγόρειον φιλοσοφίαν ζηλώσας πολὺ τὸ θειότερον καὶ ἐνεργὸν κατ' αὐτὴν ἐπεδείξατο, ἀλλὰ τὸ μὲν ἐς τοῦτον ὁ Λήμνιος ἐπετέλεσε* (fo: *ἀπετέλεσε*) *Φιλόστρατος βίον ἐπιγράψας Ἀπολλωνίου τὰ βιβλία δέον ἐπιδημίαν ἐς ἀνθρώπους θεοῦ καλεῖν.*“

[3]) Enarratis Apollonii itineribus addit: „invenit ille vir ubique, quod disceret et semper proficiens semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus Philostratus.“

[4]) Eorum locos supra, not. 25 et 26 indicavimus.

[5]) Locus est Epp. VIII, 3, quo ait, se Apollonii Pythagorici vitam ad Leonem, Eurici regis consiliarium mittere „non ut Nicomachus senior e Philostrati, sed ut Tascius Victorianus e Nicomachi schedis exscripsit.“

[6]) ed. Meurs. p. 1. Ibi excerpta sunt quaedam ex 3, 14 sq.

[7]) Posui in margine plenam J. Bekkeri varietatem, ut ex Suida Gaisfordii; siglarum igitur explicationem apud ipsos quaeret lector.

[8]) Chil. 1, 60. Exeges. in Hom. Il. p. 31. ed. Hm. al.

[9]) Synopsis Rhet. apud Walz. III, 521.

[10]) Thomam Magistrum codice Parisino usum esse consequitur ex 1, 11.

[11]) cf. 12, 30. 14, 12. 34, 25. 68, 28. 92, 34. 109, 18. 140, 21. Omissiones unius vocabuli plurimae sunt.

unum, quod Laurentianus (f) alterum quod Vratislaviensis (v), tertium quod Schellershemianus (s) codex ducit, de quibus nunc singillatim est agendum.

De Laurentiano[1] haec sunt Bandinii verba: »Plut. LXIX. cod. 33 membranaceus, ms. in 4 majori, saeculi XI, vere insignis, cujus ultima pagina de novo suppleta est. Constat foliis scriptis 311.« Virtutem ejus libri maxime in eo positam dixerim, quod et integer est et a multis vitiis, quae ceteros hujus sectae codices insident, immunis. Propria bona paucissima habet,[2] cum meliore familia communia non plura quam quilibet alius. Fluxerunt inde Pal. 329 (ψ) et Laur. LXIX, 27 (fb.). Ille bombycinus est, in 4 scriptus, foliis constans 65, saeculi XIV, mancus tribus primis libris et quarto usque ad verba ἐξωγράφει τὸν νεανίαν (75, 21). Hoc usus Olearius[3] raro notavit lectiones a Zaccagnio suppeditatas, quas et ipse transscripsi, praeterea contentus fui speciminibus ex 111, 6—115, 14. Alter describitur a Bandinio: »Cod. chartac. ms. in 4 maj. saec. XIV, variis in locis madore ac temporis diuturnitate corruptus, in cujus calce legitur: Ego Christophorus presbyter de Bondelmont de Florentia hunc emi librum apud Andron insulam maris Aegaei 1419 mensis Junii. Constat fol. scr. 75, ex quibus 67 efficiunt Vit. Ap.« Hujus praeter spec. ejusdem loci enotatum habeo benigna cura Francisci de Furia V. Cl. p. 76, 17 — 77, 8. Denique Lugdunensis, (l) de quo infra agam accuratius, in libro octavo plane consentit cum f.

Secundum genus continetur Vratislaviensi (v) et Vaticano 1016 (r), hunc ex speciminibus tantum ejusdem orationis, quae in ψ collata est, novi, illius integram collationem debeo Viro Summo, Jacobsio.[4] Ad consensum eorum perspiciendum sufficit particulam indicatam utrobique contulisse et cognitio communis lacunae in libro octavo. Aliquot bonae lectiones, quibus f caret, aut communes cum familia praestantiore aut, qui multo minor numerus est,[5] alibi non inventae, hinc proferri potuerunt, sed plurima negligentiam et temeritatem librarii prae se ferunt;[6] inprimis frequens est in transpositionibus vocabulorum; nec desunt speciosae lectiones, sed si accuratius rem explores, inanes. Itaque non recte judicavit Ol. in Praef. X scribens: »Cl. V. Gottlob Kranzii humanitati debemus

---

[1]) Fr. de Furia hunc codicem G. J. Bekkeri in usum contulerat, parantis editionem Vitae. Roganti mihi Vir amicissimus collationem commodavit, antequam ipse de totius scriptoris editione cogitarem. Lectiones codicis passim adhibui in Notis ad Vitas Sophistarum.

[2]) vid. 98, 24. 101, 4.

[3]) Satis magnifice de his subsidiis loquitur in Praefatione, p. X: »In vita Apollonii insigni nobis adjumento fuere lectiones ex quatuor codicibus, quos Bibliotheca Vaticana hodie asservat, excerptae, quas debemus summae in has litteras promovendas propensioni Viri illustris Laurentii Zaccagnii, laudatae bibliothecae praefecti dignissimi.« Palatini, Vaticani et Urbinatis varietatem enotavit Th. Heyse.

[4]) Nonnulla supplevit a me rogatus V. Cl. C. E. Ch. Schneider, professor Vratislaviensis academiae.

[5]) cf. 36, 16. 68, 4.

[6]) cf. ex quarto libro 66, 25. 68, 18. 69, 11. 70, 2. 71, 4. 72, 15. 74, 19. 75, 22. 76, 14. 77, 20. 78, 7. 80, 24. 83, 9.

usum codicis bibliothecae Magdalenensis, chartacei quidem, sed quem *optimae notae* esse allegatae passim a nobis lectiones facile doctioribus probabunt.« Uterque liber saec. XV. scriptus est, Vat. 4 min.

Tertii agminis principem statuimus[1] Schellershemianum (s). Multo magis a lectione cod. f abhorret, quam v, plerumque in pejus, quamvis non raro meliora servet;[2] vitiosa autem non tam correctoris, quod in v animadvertisse mihi videor, quam scribae culpa sunt commissa. Maxima pars, usque ad 148, 8 ab eodem librario est descripta, alter substitit in verbis 154, 35 *ὁπόσαι κ. ἀ. εἰσί*, tertius supplevit ultima ex optimo archetypo, quod jam p. 49, 32 — 53, 33 usurpatum est, atque passim in toto codice emendando. Integrum vidit Montefalconius,[3] hodie extrema Vitae Ap. inde a 167, 23 desiderantur, foliis barbara manu abscissis. Memorabilis eà maxime causâ est, quod Aldina hinc est expressa, quamquam non ipso in partes vocato, sed ejus apographo, Laurentiano Pl. LXIX. 26 (fc.) de quo Bandinius haec scripsit: »In prima pagina antiqua manus adnotavit: translatus in Latinum per Alamannum Rinuccinum A. D. 1473. forte ex hoc eodem codice, qui nitidissimus est atque optimus cod. Gr. membr. in 4 min. Saec XV constat foliis scriptis 196.« Saepe discrepat a codice s, cujus rei causam in negligentia librarii sitam puta, tantum enim abest, ut optimus sit, ut vitiis alterius admodum auctis quae propriis bonis non compensantur, pessimus haberi debeat, qui non nisi propter nitorem scripturae ab Aldo delectus esse videatur, quem traderet typothetis. Ejus libri collatione integra supersedere potui, quum praeter pauca quaedam typographi vitia aut mutata ab Aldi correctore[4] consentiat[5] cum lectione Aldinae (a), cumque, ubi a et s congruunt, de dissensu Laurentiani non sit cogitandum.[6] Similes his codicibus etiam Marciani 391 $^{\mu a}$ et 392 $^{\mu b}$ sunt, negligentissime exarati, quorum specimen in nota subjicio.

Hic demum locus est agendi de Lugdunensi 73 (l) olim Claromontano, Saec. XV.

---

[1]) Olim fuit monasterii S. Mariae, quod erat Florentiae, proprius, deinde nescio qua ratione in manus liberi baronis de Schellersheim pervenit, a quo acceptum Creuzer G. J. Bekkero excutiendum tradidit. Bekkeri collatio penes me est. Codex ipse nunc in Laurentiana servatur.

[2]) In quarto libro haec inveni, 68, 14. 74, 17 et 30. 79, 22, 23 et 25.

[3]) cf. Diarium Italicum p. 368. ubi legitur: »cod. bomb. saec XIV, in quo vita Apollonii Tyanensis et alia ejusdem Philostrati.«

[4]) Quae in s correcta sunt secunda manu, in fc. partim recepta invenimus, partim omissa.

[5]) cf. 32, 26. 81, 30.

[6]) Intellexi hoc ex specimine ejusdem capitis, quod in aliis consului, et selectis locis, quos inspexit mea causa Fr. de Furia, vir illustrissimus.

[7]) 111, 7. *ἀνταιρεῖ*. 8. *νόμον*. 10. *ἤ φασι*. μb. 17. *μέσα*. ib. *καὶ ὑπὸ*. 24. *ἦν ἁπασῶν*. 26. *προσκηρύττουσαι*. 112, 9. *καρτερήσαντα*. 13. *ψεύδοιντο — ὑγιῶς τε καὶ* om. μb. 17. *αὐτὸς*. μb. 24. *ἐρωτώντων*. 113, 6. *ἀπηλλάχθεν*. μb. 9. om. *μὲν*. ib. *ὁκρίβαντας*. 12. *ψησαμένων*. μb. 18. *ἠγάσθη*. μb. 24. *ὁπόσης* μb. 25. *καὶ θεραπεύειν*. μb. 27. *τῶν ἀφ' οἷων*. ib. *καὶ οὐ*. nec deest repetitio verborum *ἐδρᾶτο* etc. 114, 1. *καὶ ἔστιν*. ib. *ὥρα* om. 2. *μεταβαλόντας*. 3. *πέπανυται*. ib. *διῆλθε*. 4. *Θεσπεσίων* om. μb. Ubi nil adscripsi, consentiunt. Collationem debeo benignitati professoris ling. Orient. Josephi Trevisanato.

chartaceo, 4. min. qui singularem in modum per septem priores libros fluctuat inter lectionem codicis f. aut v, et s. In primo libro magis cum f facit et sic in secundo ad pag. 33. Inde plerumque sequitur codicem s, p. 33 — 49. Ubi is expletur codicis melioris ope 49 — 53, 33, ad f redit, deinde a p. 55 — 65 modo huc, modo illuc inclinat. Eadem inconstantia animadvertitur in libris IV et V, nec tollitur in libris VI et VII, ita tamen, ut praevaleat numerus lectionum cum s congruentium. Octavus denique liber alia manu depictus ubique sequitur codicem f. Ea parte excepta non possum existimare de hoc codice aliter, nisi recensitum esse adhibitis duobus diversis secundae familiae mstis, quibus invicem librarius obsequeretur; nec vero praestantioris familiae libro caruisse videtur, cum in nullo hujus generis codice tot inveniantur alterius vestigia.[2])

Photius (Φ) et Suidas (Σ) adhibuerunt libros secundae familiae, qui ex codicibus melioris passim emendati erant. Ac Photius ante oculos videtur habuisse membranas ad codicem v proxime accedentes,[3]) Suidas autem complura cum solo s habet congrua.[4])

Etiam Parisinus cod. 1696 (p), vulgo habitus optimus[5]) ob vestutatem, undecimo enim saeculo scriptus est, forma maxima, aeque ac Photii et Suidae eclogae fluxisse videtur ex correcto libro ejusdem familiae, fortasse ex eo ipso, quem usurpaverat Photius.[6]) Lacunae pleraeque inde sunt expletae et permultum verae lectionis receptum, sed ubi archetypum careret correctionibus, librarius aut διορθωτὴς ingenio tentabat locos male habitos sanare, infeliciter et audacter saepius quam recte. Ex meliore recensione caret quasi tertia parte bonae lectionis, eâque vincitur ab altero Parisino, idque eo magis, quod praestantissima quaeque neglexit, ut ex illius libri comparatione patebit. Praeterea multis locis vitio affectus est solus, ubi ne secunda quidem familia abhorret a recto.[9]) Attamen,

---

[1]) Librum ab humanissimo Geelio commodatum ipse excussi. In calce adjectae sunt epistolae Apollonii, quas ubi laudo in varietate lectionis ex hoc codice, signo λ. Etiam Mazarinaeum 87 (maz.) aliquoties laudavi ex schedis Boissonadi, cujus egregiae benevolentiae debeo collationem codicis p.

[2]) Vide 6, 13. 7, 20. 8, 17 et 21. 15, 16. 18, 20. 26, 10. 65, 20. 71, 11. 73, 2. 79, 3 et 33. 81, 19. 112, 1 et 26. 113, 16. 116, 30.

[3]) cf. 15, 22 et 26. 23, 10. 68, 4. 128, 16. Cum fam. 2da communia vide 45, 6 et 10. 46, 4. 73, 8. 87, 18. 105, 8. 123, 17. 193, 13. Ex Photio solo duxi lectiones 15, 24. 24, 11. 25, 14. 46, 18. 64, 1. 123, 2.

[4]) Vide 1, 15 et 16. 2, 10 et 11. 106, 12. Nullam ex Suida lectionem recepi praeter 82, 13.

[5]) Judicasse ita videtur Bastius (Catalogue d'une partie des livres de feu M. Bast) neque alia fuit Osanni V. cl. sententia in Auctario lexic. p. 90. Etiam Boissonadus passim hunc codicem laudat, nusquam alterum, 1801.

[6]) Photius et p consentiunt in lectionibus fam. 2dae 47, 1. 73, 8. 87, 9, 15 et 22. 128, 15.

[7]) Capitalia exempla haec sunt: 7, 2. 73, 26. 80, 23. 105, 8. 106, 9. 115, 11. 130, 17. 149, 26. et maxime 160, 13. Eo loco in f, fb, ψ, l est lacuna σοφὸς . . . . . νεύειν ἀνδρὸς. Explevit corrector codicis p, soloece scribens σοφὸς εἶην ἀνήρ, qua lectione Ol. in Urb. inventa nil praeter σοφὸς reliquit, delens veram, quae ex altero Parisino jam in s, fc, a, m transierat, σοφὸς γνώμην ἑρμηνεύειν ἀνδρός.

[8]) Bene emendata sunt haec: 12, 25. 15, 30. 29, 9. 39, 2. 57, 2. 112, 4. 136, 33. 142, 34. A prima manu veras lectiones solus habet 8, 10. 17, 25. 21, 9. 29, 14. 34, 10. 39, 6. 40, 17. 44, 2 et 11. 66, 16. 71, 22. 73, 5. 79, 10. 110, 4. 111, 17. 125, 29. 133, 12. 137, 10, 16, 19. 140, 34. 141, 3. 143, 14. 151, 3 et 6. 152, 8. 156, 7, 11. 159, 13. 169, 27. 170, 13. 171, 5. 172, 34.

[9]) Exempla vide 55, 9. 58, 27. 70, 8. 76, 6. 94, 34. 96, 16. 107, 7.

quia propius ad praestantiorem sectam accedit, quam ad deteriorem, illi attribuendum codicem duxi. Nuperrime codex simillimus a Millero meo in bibliotheca Escorialensi (e) inventus est. Vir singularis amicitiae collationem primi libri, quam ipse fecerat, mihi utendam concessit. Saeculo decimo scriptum videri indicat. In plerisque lectionibus cum p facit, sed correctiones ut 7, 2; 8, 24; 12, 25; 15, 21; 18, 10; 22, 1 desunt; pauca, quae p jam a prima manu habet, hîc ex emendatione sunt illata, 16, 30 et 33; alia, ut 13, 25 πολεμήσασθαι, 15, 21 ἐκείνῃ, 15, 31 χαίρουσι δὴ cum lectione codicis π consentiunt. Inde suspicor, librum esse antiquiorem, quam p, cujus διορθωτὴς nonnusquam ad librum secundae familiae rediit, cf. 15, 21; 22, 1. Qui postea Escorialensem inspiciet, maxime attendet ad locos 80, 24; 113, 14 et 160, 13; ex iis enim conditio codicis antiquissimi plane poterit perspici. Primi libri varietatem nolui huic prooemio includere, alii loco reservavi. Ex Parisino, quem ignoravit Olearius, quamvis jam ao. 1685 Constantinopoli in illam sedem perlatus erat,[1] descriptus est Urbinas 110 (u), quinto decimo saeculo a Michaele Apostole sive ejus librariis, chartaceus, 4to majori. Quae inde Ol. enotavit non neglexi, addidique p. 111—115 specimen, ex quo satis intelligetur, cur non plures ejus libri lectiones in margine ponendas curaverim. Negligenter enim scriptus est, neque quidquam confert ad emendationem, quod in Parisino non sit. Apostoles jam correcto est usus.[2] Fragmentum ejusdem recensionis inest etiam in Vaticano 956 (ϱ), chartaceo, saec. XV, 8vo. ab initio usque ad 14, 18 ὁπότε μελετῴη. Denique liber Marcianus ex bibliotheca monachii St. Michaelis translatus Cl. XI, 20 quem ex unius tantum paginae collatione cognitum habeo,[3] quantum quidem ex tam parvo specimine potuit intelligi, indidem derivatus est.

In hac conditione librorum crisis saepissime laboraret ἀπορίαις gravissimis, nisi unus servatus esset genuinae scripturae testis, Parisinus 1801, (π), bombycinus, fine saeculi XIV exaratus. Liber cum Σ Demosthenis et Γ Isocratis praestantia comparari potest, adeo multis locis aut lacunas explet[4] aut glossis reliquorum caret[5] aut sententiam scriptoris restituit[6] alibi obscuratam atque elegantiam ejus et dicendi puritatem,[7] ubi caeteri

---

[1] cf. Villois. in Notices et Extraits T. VIII. p. 3—31.

[2] cf. 115, 11. Interdum lectionem primae manus praetulit, ut 13, 12.

[3] Contulit hunc vir amicissimus Cobet p. 340. ed. Ol. Habet 159, 1. ἀήθους. 4. αἰτίᾳ et καὶ οὐκ. 8. γιγνόμενον. 13. μὲν γὰρ ut solus p.

[4] Ut 2, 23. 20, 25. 56, 13 et 17. 60, 30. 66, 1. 77, 8. 85, 22. 96, 21. 97, 19. 114, 1. 128, 14 et 15. 152, 14. 167, 36.

[5] Ut 80, 23. 81, 27. 85, 23. 105, 26. 107, 19. 115, 2. 146, 11. 147, 16.

[6] Proponam ea maxime exempla, in quibus VV. DD. frustra laborarunt 7, 1. 77, 9. 81, 9. 92, 28. 93, 18. 105, 8. 114, 1. 130, 17. 148, 1. 156, 35. Aliis, quae hic reperiuntur, Bentleii, Jacobsii et Boissonadi conjecturae confirmantur, ut 19, 20. 20, 12. 43, 36. 80, 9. 113, 5. 117, 14. 139, 32. 145, 14. 159, 1. 137, 18.

[7] Longum sit, hoc judicium per omnia orationis genera persequi. Vide particulas τε, γε, δὲ, δὴ, recte usurpatas 7, 17. 15, 31. 22, 1. 40, 15. 42, 21. 51, 30. 58, 17. 61, 23. 78, 20 et 24. 89, 10. 102, 13. 111, 12 et 13. 113, 26. 114, 2 et 25. 115, 4. 129, 26. 141, 9. 152, 11.

soloeca et barbara offerunt. Non est integer, cum in medio folium interciderit et desint ultima inde a pag. 170, 32. Mirum autem, ut ille delituit et fefellit VV. DD. qui in V. Ap. aliquam operam collocarunt. Unus Morellius eum usurpaverat, satis quidem negligenter, qui mos fuit illius aetatis, ita tamen, ut bonarum lectionum non exiguum numerum aut in textum receperit aut margini adscripserit, aut, quod minimum est, in praefatione commemoraverit. Vide ejus verba Casaubonum laudantis: »e bibliotheca regia, cujus vigil chartophylax est, benigne nobis suppeditavit codices manu non valde prisca nec ita recenti, sed scita et fida satis exaratos, quorum unus VIII libros de Apollonii vita, ultimo tamen μειούρῳ continebat, alter Sophistarum vitas.« Quas lectiones in praefatione protulit, non superant primas duodecim paginas; usque ad p. 60 ed. suae omnes ceteras tanquam »minoris pretii« omittit, sic defungens labore plura describendi, acceperat autem codicem jam excusis aliquot plagulis. Paucissima deinde allevit margini secundi libri, paullo plura invenimus in tertio et quarto; in reliquis constantius agit et satis multa cum lectore communicat plerumque in margine adscripta. Inde explicabit lector siglam m. γρ. In universum octavam fere partem bonarum lectionum, quae quidem huic codici propria sit, excerpsit. Paucula illa, in praefatione ab editore Gallico suppleta Ol. recepit, at quae in ceteris libris ille ad marginem notaverat, paene omnia neglexit, quae idem lectore non monito reddiderat contextui, pleraque habet, sed ignarus, unde eae correctiones essent ductae. Marginalia autem Morellii, ubi lectionem codicis in ordinem recepit, ex Aldina sunt; ubi retinet Aldinam, codicis repraesentant lectionem, add. γρ. Ea notarum ambiguitas Olearium Aldinae parum curiosum decepit, ut, ubi Aldinae scripturam margo habet, aliquoties Morellii codices, plurali scilicet numero, laudaverit,[1]) ac contra saepius narraverit, editiones priores aliquid habere, quod in solo π servatum Morellius reposuerat.[2]) Sic ejus incuria, quamvis multis VV. DD. perspecta effecit, ut in antecessore etiam bona negligerentur. Nulla enim in parte praestantior est Morelliana editio, quam in V. Ap. ubi egregio adjumento nititur, sed quum in ceteris Philostrati libris margo Morellianae vix quidquam habeat praeter conjecturas editoris maximam partem ineptas,[3]) lectores eruditi videntur idem de notis in V. Ap. statuisse, neque voluisse accuratius in earum auctoritatem inquirere. Codicem vere regium cum pulvisculo excussit E. Millerus.

Praeter hos codices consului etiam excerpta in Pal. 129 (h) Darmstadino (d) et Laurentiano Pl. LXXIV, 12 (φ). Pal. ex codice melioris familiae ductus est, ceteri ex deteriore.

Editus hic liber est ab Aldo (1502), Morello (1608), Oleario (1709). Aldi editionem

---

[1]) Ut 106, 9

[2]) Ut 113, 31.

[3]) Sed iis praefigitur ἴσ. codicum lectiones sigla γρ. indicantur.

[4]) Morellius et Olearius totum scriptorem complexi sunt uno volumine, Aldus separatim edidit Vitam Apollonii, separatimque cum Luciano cetera opera Philostrati praeter Epistolas, jam 1499 in Collectione emissas. Editionis Aldinae inscriptio est: „*Φιλοστράτου εἰς τὸν Ἀπολλώνιον τοῦ Τυανέως βίον βιβλία ὀκτώ. Εὐσεβίου Καισαρείας τοῦ*

satis illustravimus supra, neque de Morelliana quidquam amplius est quod moneamus, nisi sphalmata multo plura quam in Aldina esse, quorum pleraque praeteriimus, ea tantum commemorantes, quae Olearius in suam editionem transire passus est. Olearius quam socorditer adhibuerit copias Morellianas, jam docuimus. Retinuit igitur formam Aldinae recensionis, neque ex margine superioris editionis, neque ex varietate codd. u, ϱ, ψ, v, r, multum profecit ad corrigenda scriptoris verba; eo promtior ad ingerendas suas conjecturas plerasque inanes et ineptas.[1] Praeter codices etiam aliud ei subsidium suppetebat sane egregium: Bentleii notae criticae,[2] quas ille in marginem Morellianae conjecerat. Divinum hujus viri ingenium eo maxime hîc agnoscitur, quod compluribus locis solus incidit in emendationes codice π confirmatas; praeterea non paucis medicinam adhibuit, ubi omnes codd. vitio affecti sunt. conf. 16, 21, 17, 18. 50, 6. 72, 27, 143, 28. Eas correctiones bonus Olearius aut tacite suas fecit, aut silentio transiit. Minoris momenti Huetii[3] sunt notae, partim ad explicanda, partim ad emendanda verba pertinentes. Inde potiora saltem excerpsi. Denique praesto mihi fuere viri humanissimi Boissonadi animadversiones, quas e margine exemplaris sui ipse mea causa exscripserat. Publice commentati pauci sunt in vitam. Nostra aetate nemo melius Viro Summo, Jacobsio meruit de hoc libro emendando et illustrando. cf. Observationes in Aeliani Historiam Animalium et Philostrati Vitam Apollonii. Epistola ad Virum Clarissimum Jo. Gottlob Schneider Jenae 1804. Museum Rhenanum, 1828. p. 18 seqq. Allg. Schulzeitung 1831, 970; denique Notas ad Versionem germanam, quam edidit annis 1829—32, ne loquar de animadversionibus, quas passim inseruit libris suis. Nonnihil ex margine exemplaris ab ipso mihi commodati descriptum est. Deinde laudo »Henrici Arentii Hamakeri Lectiones Philostrateas,« quarum primus tantum fasciculus prodiit, »continens observationes in quatuor libros priores et excursum in librum quartum de vita Apollonii. Lugduni Batavorum MDCCCXVI.« libellum eleganter scriptum, in quo haud pauca solerter sunt inventa, et Georgii Josephi Bekkeri Specimen Variarum lectionum et observationum in Philostrati vitae Apollonii librum primum, quo vir praestantissimus doctrinam suam VV. DD. comprobavit. Accesserant huic specimini et Creuzeri nostri annotationes et scholia Graeca ex codice

---

Παμφίλου ἀντιῤῥητικὸς πρὸς τὰ Ἱεροκλέους Ἀπολλώνιον τὸν τυανέα τῷ σωτῆρι Χριστῷ παραβάλλοντος. Philostrati de Vita Apollonii Tyanei libri octo. Iidem libri latini interprete Alemanno Rhinuccino florentino. Eusebius contra Hieroclem, qui Tyanensem Christo conferre conatus fuerit. Idem latinus interprete Zenobio Acciolo florentino ordinis praedicatorum." In fine vers. lat. legitur: „Venetis in aedibus Aldi mense februario. MDII." Usus sum exemplari humanissime commodato ex bibliotheca regia Monacensi; quum autem comperissem ex S. F. G. Hoffmanni Lexico bibliogr. scriptorum Graecorum in exemplari bibl. Paulinae lectiones adscriptas esse, per litteras adii virum clarissimum Gersdorfium, ut eas describendas mihi curaret. Ipse descripsit vir egregius, recte monens, notas non varias lectiones esse, sed correctiones docti alicujus possessoris. Noverat eas jam Ol. cf. 46, 4.

[1] Bonae sunt hae potissimum: 77, 8. ubi in nota posuit *καὶ τὸ μήπω*, 122, 2. 137, 25.

[2] Bentlejana ea mihi comparavi per benevolam operam viri doctissimi E. Otto et J. Grabham.

[3] Debeo eas benignitati E. Milleri.

s primum edita, quae nunc plurimis novis auxi ex codice f, unde pro lubitu hauserunt librarii codicum ψ, r, s, l. Scripta sunt a viro non tam docto quam pio et Apollonianarum praestigiarum osore;[1] atque ut longe abeunt a praestantia Homericorum, Pindaricorum aliorumque ejus generis, ita non plane ad exilitatem glossematum descendunt.[2] Lectio scholiorum in f plerumque emendatior est, quam in l et s, quarum siglas adjeci, ubi idem haberent, quod f.

Ipse quae nollem silentio transire, quam brevissime potui, explicavi aut me continui in laudandis auctoribus. Olearii notas, quae repetitione digna videbantur, contracta apposui. Alia addent alii, mihi suffecit composuisse, quibus futuri exegetae sua adjicere possent.

---

[1]) Is secutus est lectiones cod. f, quae ubi vitiosae sunt, explicare aliqua ratione conatur. cf. 54, 3. 57, 2. et maxime 160, 10. Melior familia ei cognita erat, ut ex una animadversione ad 142, 31. liquet.

[2]) Tales sunt notulae ex π excerptae.

Index codicum. (C).

Melior familia (1).

π. Parisinus 1801. p. Parisinus 1696. e. Escorialensis. u. Urbinas 110. ϱ. Vaticanus 956. μ. Marcianus Cl. XI, 20.

Deterior familia (2).

f. Laurentianus LXIX, 33. fb. Laurentianus LXIX, 27. ψ. Palatinus 329. v. Vratislaviensis. r. Vaticanus 1016. s. Schellershemianus. fc. Laurentianus LXIX, 26. l. Lugdunensis 73. μa. Marcianus 391. μb. Marcianus 392.

Excerpta: h. Palatinus 129. d. Darmstadinus. φ. Laurentianus LXXIV, 12.

Epistolarum codices: Maz. Mazarinaeus 87. λ. Lugdunensis 73.

Ab aliis scriptoribus citata: *Ἐ*. Eusebio adversus Hieroclem. (A cod. Parisinus 174. B. Parisinus 451.) *Φ*. Photio. *Σ*. Suida. *Ζων*. Zonara. *Θ*. Thoma Magistro.

Index Editionum. (E.)

a. Aldina. (Lips. est exemplar in bibliotheca Lipsiensi asservatum). m. Morelliana. o. Olearіana. Rh. versio latina Rhinuccini.

Conjecturae VV. DD.

B. Bentleius. Hu. Huetius. J.*) Jacobsius. Bo. Boissonadus. H. Hamacker. Salm. Salmasius.

---

*) Nomen interdum minus recte littera I significatum est, e. g. 39, 2.